

Saturni autem sidus gelidae ac rigentis esse naturae; multumque ex eo inferiorem Iovis circulum et ideo motu celeriore duodenis circumagi annis. tertium Martis, quod quidam Herculis vocant, igne ardens solis vicinitate, binis fere annis converti, ideoque huius ardore nimio et rigore Saturni, interiectum ambobus, ex utroque temperari Iovem salutaremque fieri. deinde solis meatum esse partium quidem trecentarum sexaginta, sed ut observatio umbrarum eius redeat ad notas, quinos annis dies adici superque quartam partem diei. quam ob causam quinto cuique anno unus intercalarius dies additur, ut temporum ratio solis itineri congruat.

35

Infra solem ambit ingens sidus appellatum Veneris, alterno meatu vagum ipsisque cognominibus aemulum solis ac lunae. praeveniens quippe et ante matutinum exoriens Luciferi nomen accepit ut sol alter diemque maturans; contra ab occasu refulgens nuncupatur Vesper ut prorogans lucem vicemque lunae reddens. quam naturam eius Pythagoras Samius primus deprehendit Olympiade circiter XLII, qui fuit urbis Romae annus CXLII. iam magnitudine extra cuncta alia sidera est, claritatis quidem tantae, ut unius huius stellae radiis umbrae reddantur. itaque et in magno nominum ambitu est: alii enim Iunonis, alii Isidis, alii Matris Deum appellavere. huius natura cuncta generantur in terris: namque in alterutro exor-

36

d

37

d

38

d